

De Cyclope Euripidis.

Inter principes tragoediae Graecae Euripidem maxime in deliciis fuisse aequalibus quum politioris humanitatis expertibus tum doctis intelligentibusque multis ex rebus concludere licet. Quanti enim Athenienses eum vulgo fecerint, ut alia omittam, iam ex eo apparet, quod, quum Pellae acerbo fato periisset, legatos ad Archelaum regem miserunt, qui ossa eius reportarent. Quae res quum esset negata, iuxta viam Piraeam excitarunt ei tumulum honorarium, cuius inscriptio, aut a Thucydide, praeclarissimo rerum scriptore, aut a Timotheo poeta facta, haec erat:

*Μνήμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου, ὅστέα δ' ὄσχει
γῆ Μακεδόν' ἢ γὰρ δέξετο τέμα βίου·
πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλὰς, Ἀθήνας πλεῖστα δὲ Μούσας
τέρας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.*

cf. primam et secundam vitam Euripidis editioni Bothii praefixas. Viris autem intelligentibus, Aristophane nimirum excepto, fabulas eius admodum placuisse, ei rei est indicio, quod Socrates, Aeliano auctore, quanquam alias raro ludos spectatum ibat, semper aderat, quum Euripidis fabulae ederentur. cf. Ael. Var. hist. II, 13. *Ὁ δὲ Σωκράτης σπάνιον μὲν ἔπειθοῖτα τοῖς θεατροῖς, ἔπειθε δὲ Εὐριπίδης ὁ τῆς τραγωδίας ποιητὴς ἡγωνίζετο καινοῖς τραγωδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο.* Neque minus posteris fabulis Euripideis summopere oblectabantur; id enim iure ex eo efficere posse mihi videor, quod plures eius tragoediae, quam duorum reliquorum poetarum, quorum tragoediae adhuc supersunt, Aeschylis et Sophoclis, aetatem tulerunt. Cuius mirae rei causam optime significare Sophoclem arbitror dicentem, se homines describere, quales esse debeant, Euripidem, quales sint. cf. Aristot. poet. 25. Ita enim natura comparatum est, ut homines fere magis oblectentur tragoediis, quibus ingenia et mores hominum verissime describuntur, quam consummatis quidem fabulis, sed a rerum veritate recedentibus, quales sunt Aeschylis et Sophoclis. Eadem certe de causa solius Euripidis fabula satyrica adhuc superest, quanquam et Aeschylus et Sophocles non solum eiusmodi fabulas condiderunt, sed etiam, quod et de Pratina constat, in hoc genere excelluerunt. Quae autem virtutes aut vitia tragoediis Euripidis insint, de ea re iudices artis scenicae peritissimi et antiquae et recentioris aetatis passim exposuerunt. Sed de Cyclope eius nemo eorum, quod sciam,

adhuc iudicium fecit; operae igitur pretium esse censeo, hanc fabulam, qua accuratone ac diligentia possum, omnibus aliis rebus omissis, philosophis rationibus examinare. Disputationem autem meam ita instituam, ut primum pauca de fabula satyrica, deinde fusius atque uberius de ipso Cyclope, denique, qua re fore spero ut maior lux disputationi meae afferatur, de fabula HomERICA de Polyphemo paucula dicam.

De fabula satyrica multa proferre neque ad rem nostram pertinet et, quum Welckeri egregia de ea disputatio in additamentis ad trilogiam exstet, prorsus est supervacaneum. Id igitur de hoc genere fabularum generatim atque universe disseram, unde norma eruatur, qua de nostra fabula iudicetur. Multis autem iisque idoneis testimoniis constat, Pratina auctore fabulam satyricam a tragoedia esse seiunctam. Tragoedia enim, ex carminibus chori Bacchi orta, primo Satyrorum, quos Arion induxisse creditur, chorum retinebat; sed quum decursu temporis maior gravitas ac dignitas ei accessisset, lascivis et petulantibus Satyris in tragoediis locus non iam erat. Graeci autem, quod erat eorum ingenium, Satyros non omiserunt, sed eorum fabulam quum retinebant, tum excolebant, unde mos est ortus, ut, ternis tragoediis actis, quo animi tragico metu et miseratione commoti quodammodo remitterentur, fabula satyrica ederetur. In qua quum et heroes, qui in tragoediis prodibant, et Satyri simul partes agerent, fieri non potuit, quin commercio et concursu utrorumque, quorum alteri quanquam non tragica illa, sed satis magna gravitate ac dignitate ornati, alteri lascivi et petulantes essent, si sciens poëta ad eiusmodi fabulam condendam se accinxerat, multae occasiones facetiarum iocorumque praeberentur. (cf. Welck. l. l. p. 326 ss.) Vis igitur atque natura fabulae satyricae in eo posita est, ut animantes diversi generis, diversi ingenii, diversorum morum eiusdem actionis sint participes. Qua ex re iudicare licet, actionem in universum tragicam vel epicam fuisse, ita ut mores personarum ex tragoedia vel poëmate epico desumtarum paulum tantum immutarentur. Scena autem, ad Satyros accommodata, specubus, montibus silvisque, in quibus libentissime versarentur, erat ornata. „Satyricae scenae ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis.“ Vitruv. 5, 8. At tragoedia igitur Satyrorum choro, cui soli in ea erat locus, fabula satyrica differebat. Iam vero luce clarius est, et a comoedia et ab hilarotragoedia, quam Graeci vocant, longe eam discrepare, sed merito *καλζονσαν τραγοδιαν* a Demetrio nominari. (cf. Müller, Gesch. der griech. Liter. II, p. 38. Anm. 3).

Iam vero ad Cyclopem transeamus atque singulas res huius fabulae quam diligentissime ponderemus et examinemus, eas maxime spectantes, in quibus Euripides suum, non Homeri ingenium est secutus. Ex Homero enim, cuius epularum frustula ipse Aeschylus fabulas suas appellare solebat, et huius fabulae argumentum est sumtum.

Scena ipsa litus, in posteriore parte specum Cyclopi, circum montes rupesque ante oculos proponit. Silenus solus in scenam progressus, harpagone instructus (v. 33. ed. Dind.), prologum agit, quo ostendit, qua ratione et ipse et Satyri filii in hanc tristissimam servitutis conditionem venerint. Incipit ab eo, quod labores et pericula propter Bacchum per totam fere vitam exhausta enumerat; quorum primum id est, quod Bacchus, insaniam a Iunone immissa, Nymphas nutrices in Nysa monte reliquerit, quae res ei quoque, educatori et magistro Bacchi, dolori fuisse consentaneum est. Secundum, quod eum bello Giganteo fortiter atque

strenue adiuverit. Quis autem, quum Silenum, senem vino deditissimum, rebus fortiter a se gestis gloriantem audit, risum tenere possit? Bacchum enim in illa pugna non solum fortiter pugnando se adiuvisse, sed etiam Enceladum, monstrum illud immanibus viribus praeditum, sua ipsum manu occidisse; cuius certaminis spolia ipsi Baccho ostenderit! Quam rem Euripides perbene finxit; ab aliis enim Enceladi occisio ipsi Minervae vel Iovi tribuitur. cf. Pausan. 8, 47, 1. Virg. Aen. 3, 578. Verum tertia eaque maxima calamitas inde ei accidit, quod, quum Bacchus a praedonibus captus esset, ad eum quaerendum circa litora marium vectus, tandem ad Siciliae oram delatus a Cyclope in servitutem cum filiis sit redactus. Hoc quoque iocose excogitatum est, Silenum filiosque eius, vini ac Nympharum amantissimos, vicibus pastorum fungentes, Cyclopi severissimo domino pro Baccho servire atque adeo omnibus vitae iucunditatibus carere. Silenus ipse queritur, propter provectam aetatem alveolos (πίστρα), ex quibus pecora bibant, sibi esse implendos, domum verrendam, inter improbam coenam Cyclopi officia praestanda.

Quae dum loquitur, chorus Satyrorum pecora pascentium cum cantu appropinquat. Tum autem Sileno, pro natura senis praesenti rerum conditione non contenti, sua filiorumque commissatio cum Baccho Althaeae domum facta ante oculos obversatur. Tristem conditionem suam Silenus quum exposuerit et deploraverit, Satyri oportet in scenam prodeant, ut eorum quoque statum vitae cognoscamus. Vestiti sunt pellibus caprinis, humero circumpositis. v. 80; quod vestimentum rusticorum fuisse ex Hom. Od. ξ. v. 530. apparet. Satyros autem, alioqui nobiliorum ferarum, pantherarum, hinnuleorum, cervorum pellibus indutos, tunc pastorum munere fungentes atque fero et inhumano domino servientes, optime ita vestitos esse censeo. Omnino fieri non potuit, quin Satyri, quum ita vestiti et gregem custodientes in scenam prodirent, omnibus spectatoribus risum moverent. Quum autem carmine pereleganter composito primum arietem longius a grege secedentem, deinde capram compellaverint, ut foetibus mammas praebat, denique, sicut antea Silenus, memoria pristinae cum Baccho felicitatis revocata, indignae apud Cyclopem servituti illacrimantur. Deinde Silenus, Graecis conspectis, qui ex navi in terram egressi erant, Satyros iubet servis, ut gregem in specum compellant, imperare. Equidem non intelligo, qua re commotus Euripides famulos, qui Satyros adiuvent, in scenam induxerit. Suntne famuli Cyclopi an Satyrorum? At Cyclops, quum atrocis atque inhumani sit ingenii, multo melius sine ullis sociis fingitur, qualem Homerus eum describit. Itemque Satyri, quo gravius ex commutatione rerum et conditione servitutis doleant, quum sint

γένος οὐτιδανῶν (Σατύρων) καὶ ἀμυχανοεργῶν
(Hesiod. fragm. XIII, ed. Dind.) mea quidem sententia melius omni in muneribus perfungendis adiumento carent.

Iam v. 85 Ulixes cum sociis in scenam inducitur, idque recte. Nam quum iam Sileni et Satyrorum conditiones satis cognoverimus, secundum leges artis scenicae tertia eaque gravissima persona, in qua tota oeconomia fabulae vertitur, et in scenam prodeat et res suas nobis persequatur est necesse. Notissimum est enim, in prima parte fabulae, quam nos expositionem vocamus, et res ipsas, quae fabulae sunt subiectae, et personas, quae partes aliquas agunt, accurate ac diligenter esse describendas. Cyclopem ipsum, quum ex Sileni Sa-

tyrorumque et Ulixis colloquiis, qui sint eius mores, abunde appareat, iam in expositione partes agere non oportet. Ulixes autem, quum Satyros conspexerit, ad Bacchi urbem se venisse ratus, cibum ab iis emere cupit. Qua re Euripides ab Homero differt, qui eum in litus egredientem facit, ut ab incolentibus munus hospitale accipiat. cf. Od. *ι*, 229, 267. Id de fabula Homerica Euripides certe ea de causa commutavit, quod Ulixes, si muneris hospitalis accipiendi causa e navi egressus esset, quum a Sileno Cyclopem omnes advenas devorare audisset, statim navem conscendisset; qua re tota haec fabula esset sublata. Sed fame cruciato tandiu saltem in insula est manendum, dum cibos aliquos a Sileno mercatus sit. Itaque, dum illi paciscuntur, Cyclops supervenire potest. Haec igitur mutatio valde est laudanda. Porro plane ex natura Sileni fictum est, eum, quamvis ipse magna miseria sit afflictus, tamen Ulixem propter et loquacitatem et originem irridere conari. v. 104:

οἷδ' ἄνδρα κροτάλον, δρίμν Σισύφου γένος.

In sequenti colloquio Ulixes Sileno, quo modo illuc delatus sit, Silenus Ulixi, cuius ea terra sit, Cycloperum consuetudinem vitae moremque omnes advenas devorandi paucis exponit. Deinde Ulixes vino a Marone accepto caseos atque oves a Sileno mercatur. Quod autem Silenus primum v. 122 dicit, Cyclopes lacte, caseis, pecorum carne vivere, deinde v. 130 Polyphemum cum canibus feras venatum ivisse, qua re ab Homero Euripides differt atque secum pugnare videtur, fortasse poëta dignus videatur, qui reprehendatur. Recte, quantum ego judico. Graecis enim quasi religiosum erat, de fabulis antiquitus traditis sine causa quidquam mutare. Euripides autem Polyphemum, ut mihi videtur, ideo venatorem finxit, ut, quum venatum ivisset, Sileno et Ulixi ad colloquendum tempus daretur, utque illum venatorem dominum, Satyros gregis pastores servos esse appareret. At colloqui tempus ita etiam effici potuit, ut Polyphemus cum Satyris, Sileno domum eustodiente, greges pasceret et ultimus ad specum rediret. Ipsi autem principes antiquissimis temporibus greges pascere solebant. cf. Il. *ε'*, 313; *ζ'*, 424; *λ'*, 101 squ. *ν'*, 188. Hoc contra aptissime excogitatum est, Silenum, ubi Ulixes ab eo lac et caseos poposcit, pro his aurum flagitare; quum vero audiverit, Ulixem vinum in utre secum ferre, prae gaudio fere non compotem esse animi. Quanta denique cum voluptate vinum bibit! Quin etiam auri pacti obliviscitur. v. 161. Miretur fortasse aliquis, quod et Silenus (v. 138) poscat et Ulixes (v. 160) ei offerat aurum, cuius in hoc rerum statu nullus usus Sileno esse possit. Quae tamen res naturae Sileni valde convenit, qui levium atque inconsideratorum hominum more res ipsas cupiat, non anxie quaerens, num iis uti possit, necne. Ex v. 140 iure effici posse videtur, in insula Cycloperum vitium culturam ignotam fuisse; aliter se res habet apud Homerum. cf. Od. *ι*, 110, 111, 138. Sed in hac fabula Cyclops vino carens recte fingitur, quo gravior Satyrorum sit servitus. In Odyssea Ulixes dicit, se vinum suum a Marone, filio Euanthis accepisse, in hac fabula a Marone, Bacchi filio v. 143; quod apte mutatum esse credo, propterea quod Sileni, educatoris et altoris Bacchi

(ὄν ἐξέθρεψα ταῖς δ' ἐγὼ ποτ' ἀγκάλας. v. 142)

eo maior est de vino laetitia.

Silenus, priusquam intro abit ad caseos et pecora efferenda, vino incalescens, nonnullas voces edit, quae temeritatem atque libidinem spirant. Euripides, in ceteris quidem rebus

castus et pudicus poeta, a veritate rerum decessisset, si ingenium atque naturam Sileni aliter finxisset, ac Graecorum de Satyris sentiendi erat ratio. Ubi Silenus, ut specum intret, scenam reliquit, chorus Satyrorum solita garrulitate de Troia et Helena cum Ulixes colloquitur. Quo in colloquio quaesita cum ambiguitate Helenam perstringunt indeque occasionem in omnes mulieres invehendi nanciscuntur. Helenae quidem Euripides fere ubique iniquum iudicem se praebet, neque minus mulierum osor, quae sententia ab Aristophane firmatur et versibus, quales sunt Hippol. 616 ss., a multis viris doctis habetur. Ceterum verba Satyrorum, id quod naturae eorum consentaneum est, prorsus aliter desinunt, ac cogitare poterat; mulieres enim nullas, nisi sibi solis, esse cupiunt. Silenus, ex specu rediens, ubi caseos et pecora attulit, pro quibus iterum vinum postulat, id Graecos admonet, ut illa secum agentes abire maturent. Ubi haec dicta sunt, Cyclops procul accedit; quem quum Ulixes conspexerit, pavore percussus indigno fere modo trepidat. Clamat enim

*ὄ μοι, Κύκλωψ ὄδ' ἔρχεται· τί δράσομεν;
ἀπολώλαμεν γάρ, ὃ γέρον πῶς γῆφυγείν;*

v. 193 et 194. Sed ubi primum Silenus receptaculum ei ostendit, extemplo prorsus alio est animo. Respondet enim Silenus:

*εἰ θεαῖν δεῖ, κατθανούμεθ' εὐγενῶς,
ἢ ζῶντες αἶνον τὸν πάρος γ' εὖ σώσομεν.*

Si quid iudicii in me est, haec male sunt inventa atque naturae humanae repugnant. Neque enim credo, eundem hominem tempore fere eodem et demisso et elato esse animo. Quamquam id constat, homines fortes, qui subita aliqua re perterriti pristinam dignitatem fere amiserint, deliberata rerum conditione animum colligere atque iterum sui similes evadere.

Jam vero Cyclops, tumultum Satyrorum ante specum suum saltantium miratus, attonitos de rebus domesticis interrogat maximeque, num pecoribus sit consultum et prandio lactique; quibus omnibus optime provisum esse affirmant orantes, ne se devoret. Ad quae Cyclops respondet, minime id se esse facturum, quum saltando in ventre se enecturi sint. Qui iocus frigidus et arcessitus neque moribus trucis monstri consentaneus esse videtur. Ubi autem Cyclops oves ante specum salicibus iunctas atque alveos caseorum ac Sileni os verberibus a praedonibus iniectis, ut putat, re vera vino tumens vidit, hic affirmat, se res eius a Graecis defendentem verberatum esse. Hoc perbene fictum est atque ex mente Graecorum, qui Silenum Satyrosque non solum bibaces, sed etiam ignavos atque mendaces cogitarint. Neque minus id bene inventum est, paulo post Satyros ipsum patrem mendacii coarguere. v. 270 ss. Cyclops ipse miratur, Graecos suas res rapere conatos esse, quanquam et deus sit et deo ortus; quae causa rationi eius de diis sentiendi minime est conveniens. cf. v. 316 ss. Hac quoque in re Cyclops apud Homerum verius atque simplicius agit, qui nunquam gloriatur se dei filium esse, sed immanibus viribus solum fretus deos atque homines contemnat. Deinde Silenus, id non curans, fore ut commenticia narratione sua Graeci certissimae et crudelissimae morti obiiantur, magna certe cum oblectatione lectorum rationem persequitur, qua Ulixes Cyclopem cruciare, vincere, in servitutem redigere voluerit. Qua re Cyclops irritatus iusto magis crudelitate sua exponenda gaudet; sed ad hoc posthac redibimus. Ulixes, quum Cyclops patriam ex eo quaesierit, Ithacum se esse dicit atque Troia deleta ventis adversis

illuc delatum esse. Cyclops autem Graecorum contra Troiam expeditionem iam novit, cuius rei apud Homerum ignarus est. Mihi quidem Cyclopum consuetudini vivendi magis convenire videtur, eos rerum procul gestarum non solum non curiosos, sed etiam inscios describi. Sed Euripides certe eam ob rem id ita finxit, ut Troiae mentione facta Helenae posset maledicere. cf. supra v. 179 ss.

Tum nimis longo sermone Ulixes Cyclopem per Neptunum patrem orat, ut sibi parcat, precibusque suis eo finem imponit, quod affirmat, lucrum iniuste partum iam multis damno fuisse; quae sententia ad rem ipsam minime pertinet. Quid enim lucri Cyclops Ulixem necando et devorando sibi parere potest? Sed qua re inductus Euripides eam adiecerit, ex initio sequentis cantici Cyclopis satis apparet. Bene interea Silenus Cyclopem id admonet, ut primum omnium linguam Ulixis comedat, quae eum disertum et loquacem reddat. Tum Cyclops Ulixem item nimis longo ac verboso sermone respondet, divitias sapientium hominum deum esse; deos se plane negligere, quin etiam nescire, num Iupiter ipso sit maior; omnia alia sibi curae non esse; si enim pluat, sub rupibus sibi aut agnum assum aut feram edenti atque ventrem bene irriganti tutum perfugium esse; sin autem Boreas nivem demittat, pellibus ferarum indutum atque ignem facientem nivis nullam curam se habere; terram vero necessitate coactam herbis proferendis pecora sua alere, quorum nullum diis, nisi ventri suo, summo deo, se immolare; singulis vero diebus et edere et bibere neque angere, id solum Iovem esse. Quis autem eiusmodi argutias et tantam loquacitatem a Cyclope expectet! Tota omnino eius oratio aetatem olet sophistarum, a quorum demonstrandi ratione et ipse Euripides non abhorruisse videtur. Quanto verius Homerus Cyclopem deos idcirco contemnentem facit, quod viribus diis superior sit! Tandem Cyclops finem loquendi facit narmando, quomodo Ulixem sit dixerit et comesurus. Euripides profecto Cyclopem verum carnificem facit atque ea quoque re ab simplicitate Homeri sine ulla causa recedit. Cyclops deinde et paulo post Ulixes in specum abeunt. Interea chorus cum ironia Cyclopem ad membra hospitem comedenda cohortatur, deinde, plane ex rerum conditione, eam terram, cuius incolae detestabili crudelitate hospites devorent, relinquere cupit.

Ulixes, ubi ex specu rediit, choro narrat, quae in eo facta sint: Cyclopem duos ex sociis suis trucidasse, elixasse, partim torruisse, comedisse; in quibus rebus describendis, ut iam supra demonstravimus, Euripides cum voluptate quadam versari videtur. At lectores politiores iis certe non delectantur. Sunt enim, ut in omni genere poësis, sic etiam in fabula satyrica certi fines constituti; extra quos si poeta egressus est, nauseam spectatoribus movet. Apud Homerum Cyclops ter duos ex sociis Ulixis interfectos comedit, apud Euripidem semel, quod cum simplicitate argumenti dramatici magis convenit. Ulixes, loqui pergens, quum, quod sibi in mentem venerit consilium divinum Cyclopi vinum offerendi, Satyris aperuerit, iam ebrium eum esse atque gaudio cantare dicit; in animo sibi esse, et se ipsum et eos servare, dummodo velint; Sileni auxilio se uti non posse, utpote qui per senectutem viribus careat nec a poculis abstrahi possit. Satis facete est excogitatum, Silenum in summo Graecorum discrimine periculorum immemorem vino se dare, contra timidos atque ignavos Satyros ad immanem Cyclopem domandum arcessi. At dixerit quispiam, Ulixem, quum sociorum ope liceat uti, quibus solis iuvantibus apud Homerum Cyclopem caecum reddat, Satyris opus non

esse. Recte id quidem; sed ad risum spectatoribus movendum illa res ab Euripide apte est inventa. Satyri, postquam magna laetitia consilium Ulixis audierunt, futurum esse putant, ut Cyclops ab Ulixē trucidetur vel de rupe praecipitetur; at longe aliter hic eos ad ebrium Cyclopem oculo privandum, ad palum ardentem in oculum eius intrudendum adhibere cupit.

Iam verò hoc consilio Ulixis ea pars fabulae adducitur, quae *καταστροφή* a Graecis vocatur. Est autem lex artis scenicae, ut quaecunque fabula talem habeat exitum, qui ipsa rerum conditione atque necessitate quadam adducatur; in nostra igitur fabula rerum conditio ea sit oportet, ut Cyclopi oculo non extincto Ulixes sociique eius liberari non possint. At vel veloci oculo res spectanti apparet, ad salutem Ulixis minime esse necessarium, Cyclopi oculum exuri. Nam si Ulixes cum sociis Satyrisque salutem tantum reperire studebat, quod consilium v. 480.

καίτοι φύγοιμ' ἄν, καὶ βέβηκ' ἄντρον μυχῶν.

Satyris aperit, Cyclope vino oppresso et sopito, quum caverna saxo non esset clausa, quid obstabat, quominus et Ulixes cum sociis et Silenus cum Satyris ad navem confugerent? Si vero Cyclopem pro crudeli nece duorum sociorum ulcisci cupiebat, quod v. 471

ἄκουε δὴ νῦν, ἣν ἔχω τιμωρίαν

θῆρὸς παρόντων

significat, ut dignas poenas pro tanta facinoris atrocitate lueret, morte eum afficere debuit. Neque enim aliter inter scelus et poenam recta et iusta ratio intercedit. Verum apud Homerum necesse est, Cyclopem oculo privari. Quum enim Cyclops ingenti saxo, quod Ulixes cum sociis amovere haud possent, specum clausisset, duarum rerum altera fieri debuit, ut Ulixes aut se devorari ab ista belua pateretur aut Cyclope interfecto in ciborum inopia miserima morte periret. Ita igitur erat res excogitanda, ut et Cyclops amplius nocere non posset et Graeci servarentur; quod utrumque Cyclope excaecato fieri potuit. Ergo haec pars fabulae Euripideae legibus artis scenicae non respondet. Euripides autem hac in re Homerum ideo fortasse secutus est, ne eius fabulam, quae omnibus Graecis notissima esset, aequo plus mutare videretur.

Satyri autem, quorum auxilio Ulixes uti volebat, magna cum iactatione eum se fortiter adiuturos adeoque onus centum carrorum sublaturus esse promittunt. Quo facto Ulixes intro abit; lascivus autem chorus lepidum carmen canit, quo vinum atque amorem celebrans Cyclopem, qui canens ex specu prodit, cum ironia commissionem doceat.

Iam Cyclops carmen canens cum ingenio eius, cuius summus deus venter est, egregie conveniens, cum Ulixē et Sileno ex specu in scenam progreditur. Chorus eum pulcro excipit carmine, quo, quum Cyclops cum sponsa deducenda comparetur, consilium Ulixis tecte denotatur. Colloquuntur deinde Cyclops et Ulyxes satis frigide de Baccho (vino) et de habitatione eius (utre). Tum Cyclops vinum cum fratribus communicare parat, quod ne faciat, Ulixes et Silenus impediunt. Hac quoque re Cyclops Euripideus ab Homero differt; hic enim fratrum adeo non est amans, ut ei ne in mentem quidem veniat, eos vino impertire, atque omnino a societate fratrum abhorret, quod mihi cum moribus „monstri horridi“ magis consentaneum esse videtur. cf. Od. *ι*, 488, 489. Cyclops deinde, quum humi se prostraverit, ut melius bibere possit, ridicule colloquitur cum Sileno, qui, infundere iussus, ipse

clanculum bibit, id quod Cyclopi non ita placet. Bene autem esse fictum censeo, Silenum, quamvis sit satis deformis, (Lucianus enim eum hunc in modum describit: *Βραχὺς πρῆσβύτης, ὑπόπαχυς, προγάστρωρ, ἠινόσιμος, ὧτα μεγάλα ὄρθια ἔχων, ὑπότρομος*. Bacch. 2. *Φαλακρὸς γέρον, σιμὸς τὴν ἕϊνα*. Deor. conc. 4) pulcritudinem suam iactare, v. 553; neque minus mihi placet, omnibus artificiis, quibus opportunitatem bibendi nanciscatur, veterem potatorem uti. Postremo Cyclops, ut munere infundendi fungatur, ab Ulyse petit; quod hic libenter suscipit.

Inter colloquium Cyclopi et Sileni prior ab Ulyse nomen quaesierat; ad quod hic respondit, sibi nomen Nemini esse. At quid sit, cur hoc nomen simulet, equidem non intelligo. Nam quid tandem eo nomine assequi potest aut quando id ei prodest? Nullius enim per totam fabulam est momenti, nisi quod postea est Cyclopi irridendi, quod quidem illo loco v. 672 ss. a Satyris haud male fit. Sed apud Homerum hoc nomen Ulyxi magno est usui, quod Cyclopes, a Polyphemo in auxilium convocati, eo decepti a specu domos discedunt. —

Cyclops, iam plane ebrius, coelum et terram commixta videt, quin etiam Iovis solium et numina coelestia conspiciere sibi videtur. Dein, impudica voluptate incensus, iocose atque ridicule, si rei ipsius rationem non habes, Silenum Ganymedem suum nominat; hic tamen, ut ex Cyclopi amoribus lascivis evadat, magis etiam ridicule se Iovis, non Cyclopi Ganymedem esse affirmat. Sed hic eum quamvis resistentem in specum abstrahit. Qua in re licentia fabulae satyricae et mores Graecorum sunt respiciendi. Cyclops autem, ne in scena ipsa coram spectatoribus caecus reddatur, aliqua re inductus oportet in specum redeat. Omnes enim horribiles et atroces res a scena sunt removendae atque, ubi perfectae sunt, ex colloquiis actorum cognoscendae.

Ulixes, quum iam in eo sit, ut Cyclops somno opprimatur atque carnes devoratas eructet, Satyros ad palum in oculum Cyclopi strenuis animis secum intrudendum cohortatur. Qua in re non video, qui Ulixes scire potuerit, Cyclopem carnes evomiturum esse. Id quoque ab Homero melius est inventum, in cuius fabula Ulixes id non praevideat; sed poeta tantum modo res gestas simpliciter narrat. Satyri, postquam promiserunt, saxeos atque ferreos se habituros esse animos, ne diutius cunctetur, ab Ulyse petunt. Hic autem, priusquam ad consilium exsequendum accedat, quanquam prudentissimus et callidissimus est, deorum, Vulcani et Somni, auxilium implorat; Vulcani, quia oculum Cyclopi igni extinguere, Somni, quia in dormientem vindicare constituit. Denique in specum abit. Chorus lepido carmine fiduciam aperit, se adiuvante fore, ut Cyclops, quum collum eius forcipibus teneat, oculo privetur atque ipse ea solitudine relicta Bacchum revisat.

Ulixes ex specu prodit atque Satyros, ne Cyclops expergiscatur, silere, quin etiam ne nictari quidem aut screare iubet, quod se facturos esse illi libenter pollicentur. At quum Ulixes, ut intro abeant atque titionem apprehensum manibus teneant, eos cohortatus sit, veram naturam suam prae se ferunt. Quum enim paulo ante dixerint, saxeis atque ferreis animis se esse futuros, recusant, quominus id faciant, varias causas interserentes; partim enim stando claudos se esse factos atque rigore nervorum captos, partim oculos alicunde cinere et pulvere repletos esse dicunt. Ab Ulyse autem increpiti veram timiditatis causam

proferunt; se enim timere, ne verberibus mulcentur neque dentes sibi elidantur. Perbene ignavia atque timiditas eorum eo maxime tempore, quo Ulixes et se et eos liberaturus est, apparet; omnino haec conditio Ulixis et Satyrorum, quum fabula satyrica eo ipso maximam vim in spectatores exerceat, quod heros aliquis et leves ignavique Satyri eo tempore una agunt, quo salus ipsa in discrimen vocatur, a poëta feliciter est adumbrata. Attamen Satyri cantu magico Orphei, quo titio sua sponte in oculum Cyclopi penetraturus eumque sit combusturus, Ulixem adiuvari volunt. Id autem carmen bene a poëta nominatur Orphicum. Orpheus enim cithara et cantu non solum arbores et saxa secum traxisse, sed etiam Argo navem, quae loco moveri non poterat, in mare deduxisse dicitur.

Tandem Ulixes consilium capit, auxilio sociorum suorum uti, quibus adhortatione animos addere Satyros iubet. Sed magno opere miror, sociis Ulixis in prioribus scenis non solum nullas partes esse tributas, sed fere ne mentionem quidem eorum factam. Qua in re poëtam peccasse iam eo patet, quod spectatoribus, memoria eorum hoc consilio Ulixis aperte instaurata, necessario erat quaerendum, quid usque ad id tempus fecissent?

Ex v. 478 et 479.

*ἐγὼ γὰρ ἄνδρας ἀπολιπὼν φίλους
τοὺς ἔνδον ὄντας οὐ μόνος σωθήσομαι.*

sequi videtur, eos per totam actionem inertes vel trepidantes, gregi timidarum ovium similes, in specu Cyclopi latuisse, quamvis vita eorum periclitetur, quae tamen res cum humana natura minime congruit.

Dum Satyri carmine animos sociorum augere student, hi torre intruso oculum Cyclopi exurunt. Quem quum cavillati sunt Satyri, quod a Nemine sit foedatus, tandem ab Ulixe se excaecatam esse comperit. Satyri quidem Cyclopi facete illudunt, sed quemque eo offendi arbitror, quod Cyclops, quem ingentibus doloribus atque furore cruciatum saevire est consentaneum, cum choro colloquium de Nemine committit. Quanto verius Homerus

*σμερδαλέον δὲ μέγ' ἤμωξεν περὶ δ' ἵαχε πένη.
ἡμεῖς δὲ θεῖσαντες ἀπεσσύμεθ', αὐτὰρ ὁ μόχλον
ἐξέροσ' ὀφθαλμοῖο, πεφυρμένον αἵματι πολλῷ.*

Tum Cyclops: sibi vatem cecinisse, futurum esse, ut ipse quidem ab Ulixe oculo privetur, sed Ulixes diu in maribus iactetur. Apud Homerum Cyclops Neptunum patrem obsecrat, ut Ulixes aut nunquam aut, diu a patria retentus, demum post omnes socios amissos domum revertatur. Iusta autem de causa Euripides de fabula HomERICA id ita mutavit, ut, quae apud Homerum Cyclops Neptunum precatur, ea iam vates praedicat. Nam si hac in re Homerum auctorem secutus esset, spectatores nescivissent, num preces Cyclopi ratae forent necne, id quod Homerus postea nobis uberius narrat. Quum autem una pars oraculi, Cyclopem caecum redditum iri, exitum habuerit, certissimum est, alteram etiam partem exitum habituram esse. Postremo Ulixes cum sociis Satyrisque nave conscensa avehitur, nihil fortunarum Cyclopi secum agens vel ferens; apud Homerum gregem eius ad navem compellit, id quod Ulixes Euripideus, quum fame coactus ad insulam Cyclopi appulisset, multo magis facere debebat.

Iam vero singulis rebus, quantum poteramus, diligenter atque accurate ponderatis et

examinatis, nonnulla de tota fabula subiiciemus. Primum omnium Euripides fabulam Home-ricam de Cyclope, quam quasi pro fundamento fabulae suae poneret, aptissime elegit. Pe-tulantes enim et lascivi Satyri cum Sileno, vini amantissimo, in dura servitute Cyclopis greges custodientes tristissimam vitam pro hilari et iucunda agunt, quae ipsa res iam admodum placet. Deinde ubi Ulixes navi appulsa vinum attulit, quum a Cyclope oppressus auxi- lium ab iis ad eum excaecandum petat, saepissime occasio praebetur, qua vera natura eorum appareat atque spectatorum risus concitetur.

Singulas quidem res multas vituperavimus easque magnam partem, quibus fabula Euri- pidis ab Homeri differt; sed plurimas dignas esse iudicamus, quae laudentur. Apud omnes quidem constat, si quis poëta scenicus fabulam poëtae epici tractandam sibi sumserit, eum servilem eius imitatore[m] haudquaquam esse oportere; immo vero multa pro legibus artis scenicae sunt immutanda. Sed in ea immutatione duabus legibus coercetur, quarum prior est, ne res primarias, si fabula tradita omnibus notissima est, ita variet, ut lectores vel spectatores offendantur, altera, ne vestigia poëtae epici temere relinquat. Contra posteriorem legem Euripidem aliquoties peccasse satis me demonstrasse arbitror. Contra etiam in rebus minoris momenti Homerum saepe sequitur; e. g. comparisonem, qua Homerus utitur ad modum describendum, quo Ulixes sociique eius palum in oculum Cyclopis instruserint, plane fere retinuit. Ceterum auctor hypothesis errat, si forte parva tantum parte argumenti ex- ponenda significare voluerit, cetera ab Homeri narratione non differre. Sunt etiam aliae res in hac fabula vituperandae, quarum causa in ingenio Euripidis ipsius est posita; cuius generis sunt longa ista monodia, ut ita dicam, et fallaces conclusiunculae hic illic inspersae. Sed haec hactenus.

De oeconomia huius fabulae contendere posse mihi videor, eam partem, quae expositio vocatur, optimam esse. Ita enim in ea omnia exponuntur, ut rerum, quae ad recte iudican- dum de personis agentibus opus sunt, nihil non appareat. Itemque secunda pars, in qua nodus nectitur, in universum perbona est. Incipit haec pars ab eo, quod Silenus pro vino ab Ulixo accepto caseos atque oves Cyclopis ex specu profert, qua maxime in re Cyclops supervenit atque paulo post duos socios Ulixidis devorat. Quo facto transitus ad *καταστρο- φήν* paratur. Verum haec ipsa pars, quum ad salutem expediendam Ulixi haud opus sit Cyclopem caecum reddere, ad eum ulciscendum id non sufficiat, ut iam supra dictum est, infirmis adminiculis inniti mihi videtur. Sed, praeterquam quod Euripides iusto longius ab Homero discedere noluit, fortasse haec quoque ad eum excusandum proferri possunt. Apud Homerum omnia rectissime se habent, quia omnes fere res aguntur in ipso specu, qui in- genti saxo est clausus; sed in hac fabula, quae erat ratio scenae antiquae, res sub divo aguntur, ut Ulixi sine ullo periculo Cyclopem aut interficere aut effugere liceat. Euripides autem, ne tota actio, si Ulixes alterutrum fecisset, abrupta videretur, noluit neque Ulixem, quum Cyclops dormiret, cum sociis aufugere neque interfici Cyclopem.

Restat, ut paucis exponamus, quomodo personae partes suas tueantur atque sibi con- stent. Silenus Satyrique verissime describuntur atque ubique pro natura sua agunt. Ulixes ipse magis *πολύμητις* est, quam *μεγαλῆτις*; nusquam enim fere talem se praebet, qualis est apud Homerum, dicens:

τὸν μὲν ἐγὼ βούλευσα κατὰ μεγαλήτορα θυμῶν,
 ἄσπον ἰὼν, ξίφος ὄξυ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ,
 οὐτάμενα πρὸς στήθος, ὅθι φρένες ἦσαν ἔχουσιν,
 χεῖρ' ἐπιμασσάμενος·

at partes callidi vafrique hominis agens ubique sibi constat. Cyclops denique, ut equidem censeo, partim iusto mitior est, quippe qui multis locis loquacem atque fratribus et Sileno amicum se praebeat, partim nimis est crudelis, quum crudelitate sua exponenda identidem gaudeat, ut non solum carnibus humanis vescatur, sed etiam carnificis partes agere videatur.

Postremo iuvat O. Mülleri, acutissimi harum rerum iudicis, sententiam de fabula nostra adscribere: „Die Vorliebe des spätern Alterthums hat bewirkt, dass sich auch nur von ihm (Euripidis) ein Drama Satyrikon erhalten hat, wiewohl er in der Gattung sich sonst eben nicht hervorgethan hat, der Kulklops — interessant als Beispiel dieser Art von Poesie, für welche die Fabel vom Polyphem ganz geschaffen ist, aber ohne die geniale Erfindungsgabe, (Quisnam caret inventionem sive excogitationem? Num forte ipsa fabula?) die wir von einem Satyrdrama des Aeschylus erwarten müssten. Cf. Gesch. der griech. Literatur, II, p. 179. Quod iudicium tam incertum est, ut nihil eo dici videatur. Neque enim scire cupio, num sit fabula quaedam Euripidis tam ingeniose inventa, quam Aeschyli, sed num sit tota aut ex parte bona necne. Ad quod accedit, quod nulla fabula satyrica Aeschyli adhuc superest, comparatio igitur institui nequit. Omnino autem credo, de Cyclope Euripidis, quum unica sit eius modi fabula, quae aetatem tulit, haud ambigue diiudicari non posse. Valde igitur dolendum est, hoc genus poësis tantum ex fabula Euripidis et nonnullis fragmentis cognosci posse. Graeci enim, qui omnes artes ad summum fastigium provexerint, hoc quoque genus certe ita excoluerunt, ut omnibus numeris esset absolutum.

Haud alienum a proposito meo esse arbitror, Homericam de Cyclope fabulam accuratius examinare, qua re futurum esse spero, ut maior lux disputationi meae de fabula Euripidea afferatur. Apud Homerum igitur Ulixes non dolis utitur, ut hominibus perniciem paret, sed ipse tantis periculis, tantis calamitatibus est circumventus, ut vix ullus mortalis inde se expedire posse videatur; attamen fortissimus vir gravissimum quodque aequo fert animo neque in ipso vitae discrimine sibi aut prudentiae suae diffidit. Polyphemus enim, quum Ulixem in specu suo invenisset, aditum saxo occlusit, quod nemo homo loco movere se posse confideret. Ulixi igitur sociisque in specu Cyclopi inclusis nulla spes effugiendi est relicta. Fere certum esse videtur, fore ut ipsi eadem, quae sociis, clades accidat, quae conditio vere est tragica. Vir enim et prudentissimus et fortissimus, cuius quum virtute tum consilio Troia est expugnata, iam in eo est, ut per Cyclopem, immanem beluam, maxime inglorie intereat. Eo autem versutia eius apparet, quod se suosque in summo rerum discrimine tam feliciter conservat. Cyclopem enim dormientem in specu occidere non erat ex usu. Nam quis molem illam lapidis ad ostium positam sustulisset? Res igitur ita erat instituenda, ut neque Polyphemus necaretur neque Graecos devoraret. Quid igitur fecit Ulixes? Utrem vini secum duxerat, quo Cyclopem ebrium facere et ebrium excaecare sibi proponit. Ita enim tum iram caeci Cyclopi in ipso specu effugere poterat, tum hic ipse ianuam aperiret, ut oves pasceret, necesse erat. Dugas-Montbel libro, qui

inscribitur „Observations sur l'Odyssée d'Homère“ p. 152 ad hunc locum hanc adnotationem adscribit: „Spondanus disserte longuement pour prouver qu'Ulysse punissait bien plus le Cyclope en le privant de la vue qu'en lui donnant la mort. Barnès observe très-bien que la véritable motif d'Ulysse pour ne pas tuer le Cyclope, c'est que, même avec l'aide de ses compagnons, il n'aurait pas pu soulever la pierre qui fermait l'entrée de la caverne, comme le dit Ulysse immédiatement après v. 304—5. Cependant il y a bien quelque chose à dire à tout ce récit; et, puisque le Cyclope est assez fort pour enlever aisément cette énorme pierre que plusieurs hommes réunis ne pouvaient déranger même au moyen d'un levier, comment se laisse-t-il aveugler sans se défendre, sans étendre de tous côtés ses bras vigoureux, et mettre en fuite ces hommes faibles qui percent tranquillement son oeil avec un pieu brûlant, comme un charron perce une poutre avec un vilebrequin? Toutes ces inventions bizarres, exagérées par la crédulité des peuples, n'étaient pas toujours pesées au poids de la raison et de la vraisemblance.“ Posterior pars huius adnotationis non magni est momenti. Qui enim Cyclops, quum vino et somno sit quasi sepultus, ab iniuria se defendere possit? Ubi tota res, quae punctum tantum temporis tenebat, perfecta est, ingentibus doloribus Cyclops ex somno excitatur. Dugas-Montbel quod imaginem, ab architectura navium sumtam, premere videtur, id non vidit, Homerum hac imagine usum esse non ad spatium temporis, sed ad rationem significandam, qua palus ardens oculo Cyclopis sit intrusus. Nomen fictum Nemini, quod Ulixes ad Cyclopem decipiendum sibi imposuit, in fabula HomERICA maximi est momenti. Ulixes enim ceteros Cyclopes Polyphemo clamanti, quum oculo privatus esset, auxilium laturos esse facile divinavit. Quod ubi re vera factum est, quum Cyclopem a Nemine laesum esse compererint, suam quisque domum revertitur. Quae res quum ita se haberent, Polyphemo nihil facere relictum erat, nisi id, quod facientem Homerus eum inducit; ostium enim custodit, ut Graecos, si forte evadere conentur, deprehendat. Quam ob rem Ulixes socios sub ternis arietibus alligat; sibi autem ipsi unum eumque maximum arietem eligit, quia nemo iam superfuit, qui eum sub tribus arietibus alligaret. Ita Graeci e specu Cyclopis evadunt atque servantur. Nos quidem, quotiescunque hanc fabulam legimus, tacito quodam gaudio afflicebamur, praeter artem in ea positam id maxime intuentes, quanto mens et ingenium semper plus valeant, quam ingentes corporis vires, quantoque animus et patientia maiores sint socordia atque ignavia. Polyphemus ipse, agrestis naturae filius, ut ita dicam, partes suas optime tuetur; sicut deorum negligens est, ita neque hospites sanctos habet neque precibus donisque mitigatur ideoque iustas poenas solvit. Sed quamvis sit inhumanus ac ferox, quis est, qui colloquio eius cum ariete, quem, quum prius semper primus gregis fuerit, tunc vero novissimus sit, sui misericordia id agere putat, non quodam modo moveatur? Videmus igitur in fabula HomERICA omnes res ita esse excogitatas, ut re vera omnibus numeris sit absoluta.

Ad extremum non possum, quin Heynii iudicium de loco quodam huius fabulae apponam. Vir enim doctissimus in excursu 16 ad Aen. l. III. illum locum pertractat, quo Virgilius unum ex sociis Ulixis referentem fingit rationem, qua Polyphemus duo Graecos comederit. Versus Virgiliti hi sunt.

Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro,
 Prensa manu magna, medio resupinus in antro
 Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
 Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
 Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.

Aen. III, 623—628. In quibus versibus Virgilius non solum Homeri descriptionem retinuit, sed etiam ita auxit et amplificavit, ut rei foeditas aliquanto sit maior. An est quisquam, cui „limina sanie exspersa“, „membra atro tabo fluentia“, „tepidi artus sub dentibus trementes“ taedium non moveant? Maius saltem, quam simplex Homeri descriptio. Attamen Heynius l. l. Virgilii descriptionem excusare studet, quod illa „faciunt simul horrorem et hominum (Virgilii aetate viventium) belli caedibus rapinisque adsuutorum sensus potuit esse obtusior stomachusque minus fastidians“. Mira profecto excusatio! At eodem loco: „Homerus“, inquit, „multo atrocius spectaculum et carnificinam verius exhibuerat.“ Homeri autem versus sunt:

ὄν δὲ δὺὼ μάρψας, ὥστε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ
 κόπι' ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ἦε, δέυε δὲ γαῖαν.
 τοὺς δὲ διαμελείσσι ταμῶν ὀπλίσσαντο δόρπον.

Od. I, 289—292. Lectores ipsi diiudicent, uter eorum carnificinam verius exhibuerit. cf. hac de re Vossii Mythol. Briefe I, p. 230. Paulo post sub finem illius excursus Euripidem, quod horrendum Polyphemi spectaculum exhibeat, natura dramatis satyrici se tueri posse dicit. At apud Euripidem res prorsus aliter se habet, quod non simpliciter refert, quae Cyclops fecerit, sed eum loquacitate quadam ac laetitia exponentem inducit, quemadmodum Graecos sit trucidaturus atque devoraturus, id quod ne in satyrica fabula quidem probari potest. In universum autem in epica poesi multas res, quamvis sint terribiles atque atroces proferre licet, modo ne lectores iis offendantur taediove afficiantur; sicut Achilles, generosissimus atque fortissimus omnium Graecorum, qui contra Troiam profecti sunt, Hectorem, quod Patroclum sibi amicissimum occiderit, crudum vorare cupit. Il. ξ', v. 347. At spectatores fabulae scenicae tales res audire aut spectare fortasse taedeat. Homines enim iis, quae iam dudum facta sunt, multo minus commoventur, quam iis, quae aut in eorum conspectu aguntur aut quae in praesentia agi putant. Virgilius igitur multo magis, quam Homerus, carnificinam exhibet, neque Euripides natura dramatis satyrici se tueri potest, quod non solum Cyclopem atrociorum fingit, quam Homerus, quod supra demonstravimus, sed etiam crudelitatem suam cum voluptate quadam exponentem.

